



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Quàm multa breui, quanto exemplo ibi gesta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ad Senatū Colonienſem expectabat literas, nulla
re Coloniae acta, dum eae literae perferrentur, No-
uomagum in Patriam ſuam excurrit. Iniquum
enim erat, qui apoſtolicam ſalutationem ad alias
circa perferebat Ciuitates, vt præteritam faceret
ſuam: nec conueniens erat, vt quo fructu alienae
tot Prouinciæ alebantur, eum parens, alrixq; ter-
ra non deguſtaret. Conſpexere Ciues ex tanto in-
teruallo alumnum ſuum a deo virtute auctum,
famaque nobilitatum, qua gratulatione par erat.
Senatus ipſe quanquam non vſquequaq; Catho-
licus honorifica ſalutatione, & honorariis donis,
quibus magnas perſonas ſolet, excepit. Hæſit ille
ferme dies octo Nouiomagi. Quo tempore & la-
tina oratione diſcentes in gymnaſio, cum Cano-
nici, ludique Magiſtri omnes, ciueſq; frequentes,
qui latine callebant, auditum confluxiſſent, do-
ctè, grauiſſeque ad veræ ſapientiæ laudes inflam-
mauit, & in ſummo templo ad multitudinē ver-
nacula lingua ſemel, atque iterum perorauit, Ci-
uium tanta frequentia, vt eo minus ſit omnibus
factum ſatis, quod omnium ad aures aduehere
pias merces vox interuallo fatigata non poſſet.
Descendentem autem è ſuggeſto ita obſeruabat
multi-

*Nouiomagum
reuiſit.*

*Quam multa
ibi eui, quanto
exemplo ibi
geſta.*

multitudo, intentisque oculis prosequeretur ab-
euntem, ut fieri assolet in raris spectaculis. Sena-
tum quoque remuneratus est de sua copia Catho-
licus Doctor, libera modestia, studioque peraman-
ti adhortatus ad Catholici cultus integritatem
sed præcipuè ad minimos Christi cohortandos
pascendosque cum animi, tum corporis cibo ca-
ram vertit. Certantibus enim propinquis, & affi-
nibus numero magno, quis suas ad epulas veni-
endum hospitem primus deduceret, inuitatio-
nem omnium sic ipse accepit, ut iuberet singulos
in Xenodochium quæ quisque pararet deferre: e-
demque loco simul omnes elutis confessione ani-
mis ad diuinam mensam accumberent, tum su-
etiam Christiana caritate corporibus leuamenta
in communi præberent. Quod probatum cum
esset, ipse eodem loco verbi diuini dapes pauperi-
bus præbuit, tum omnia quæ affines, cognatique
pro se quisque abundè contulerant, cum modico
ipsi gustassent, dierum multorum subsidia, & hu-
laritatem reliquit: nihiloque min⁹ inuentum hoc
caritatis Ciuitatem exemplo, quam inopem tur-
bam lucello commouit. Porro quod ab id genus
officiis otium fuit, id omne expiandis confessio-

ne ani-

ne animis, componendis inter ciues grauibus diffidiis, priuatim cohortandis ad fidem, singulari cum pietatis prouentu consumptum est. Inde reuertenti Coloniam, ex itinere etiam concionandum fuit. Sæpe enim vix equo descenderat, cum suggestum in scendere cogebatur, nec ante corpusculo suo terræ panem inueniebat, quam panem cæli hospitem populorum animis ipse fregisset. Ad Guilielmum Iuliacensem Principem postridie quam Coloniam venerat, ire perrexit: nihil deterritus, cum quidem ingrueret bruma, siue locorum iniuriis, siue inclementia temporū. Aberat Princeps: quare ad Episcopum Osna-
 burgensem Pater diuertit. Apud eū summis precibus <sup>Osna-
burgum
adit.</sup> binas hebdomadas, eoq; amplius coactus est moram facere cupientem de religione multa conferre. Productus est illico in sacra rostra: Domini- que natalitias ferias quotidiana dictione Osna- burgensi populo sanctiores, lætioresq; fecit. Collegium Societatis optabat Episcopus. Sed cum præcipua quæque per Lutheranos gererentur, planeque perturbata iaceret religio, haud suppetebat facultas, vnde pia vota producerentur ad exitum.

f

Agebat